



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

Paraphrasis in Epistolam B. Pauli ad Thessalonicenses III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

ne, ut sciat vnusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij: sicut & Genes qua ignorant Deum. Et ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de omnibus his sicut prædiximus vobis & testificati sumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, in Christo Iesu Domino nostro.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

REcetè hæc lectio in Quadragesima Ecclesiastica consuetudine sumpta est, qua Paulus Apostolus à fornicatione Theſſalonicenſes retrahere, ſeruareſq; in continentia nititur, quando quidem ſanctimonia pietatem roborat. Nihil verò pœnitentiam adeo impedit, quàm fornicatio. Cui paſſioni ſe quiſque ſubiecerit, vt brutum mox efficitur, ad meditando ea, quæ animæ ſunt ſalutaria, ineptus. Paulus itaque dicit: Rogamus & obſecramus vos in Domino Ieſu, cuius gloriam zelamur & beneplacitum, vt quemadmodum ex noſtra eruditione didiciftis, quomodo vos innocenter neceſſe ſit ambulare, & placere Deo, qui ad cæleſtem venire patriam contenditis (quod etiam facitis hucuſq; ita ambulando) ita & nunc abundanti magis, hoc eſt, ambulando, ſuſpirandoquæ ad eandem patriam ſitis feruentiores, ſtudioſioresq;. Vitam hominis ambulationem hic Paulus nominat, quomodo Chriſtus quoq; ambulat, inquit, dum lucem habetis. Curſus enim vitæ noſtræ tendere ſemper debet ad patriam cæleſtem, quare nos quoque in hac vita viatores ac peregrini vocamur. Sequitur: Scitis enim quæ præcepta dederim vobis, non tamen ex me, ſed per autoritatem Domini Ieſu. Hæc enim eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, quo ſitis purgati à peccatis, ornatiq; virtutibus. Ad quam rem neceſſarium eſt, vt abſtineatis à fornicatione, hoc eſt, ab omni illicito concubitu. Et præterea ſciat veſtrum vnusquisque vas ſuum, hoc eſt, corpus ſuum poſſidere, ſubiectum tenere, ac illi dominari in ſanctificationis gratia, quam in baptiſmo recepiſtis, aut in ſanctificatione, id eſt, caſtimonia & honore, ne corpus ſuum indecenter polluat, & non in paſſione deſiderij, cui ſeruiat, aut ſatisfaciat, ſicut gentes quæ ignorant Deum, quæ corpori quicquid illud oblectauerit, concedunt. Aliud quod facietis, Dei æque eſt voluntas: Ne quis ſcilicet ſupergrediatur opprimens, neque circumueniat decipiens fratrem ſuum in vilo negotio, quoniam vindex eſt Dominus de omnibus his, quæ prædiximus vobis, teſtimonioque ſacræ Scripturæ confirmauimus. Nam in Iob legimus: Deus inultum abire non patitur. In Leuitico quoque mandatur: Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Nō enim vocauit nos Deus in immunditiam, vt corpora noſtra contaminemus veluti iumenta, nec vt virtutum polluamur ſordibus. Sed vocauit nos in ſanctificationem, vt incontaminatam, atque ab omni turpitudine liberam exhibeamus conuerſationem in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Ioan. 12.

Job. 14.
Leuit. 9-

EXEGESIS EUANGELII DOMINI
ca. II. Quadragesima, Matthei XV.

Post